

Johannes Vorst    Jacob Valepagius

## **Tres Philologicae, Et Ex Parte Quoq[ue] Philosophicae Diatribae**

Rostochi[i]: Richelius, 1652


**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740000969>**

Druck    Freier  Zugang



R. u. Med. 1652.

Vorstius, Johannes/a  
Valepagnus, Jacob.



ΣΥΝΘΕΩ  
TRES  
PHILOLOGICÆ,  
ET EX PARTE QVOQ;  
PHILOSOPHICÆ  
DIATRIBÆ,  
QVÆ  
IN ILL. ACAD. ROSTOCHI-  
ENSI PLACIDÆ VENTIL.  
DESTINANTUR

A  
PRÆSIDE  
M. JOH. VORSTIO,  
ET  
RESPONDENTE  
JACOBO VALEPAGIO,  
SCHLESVICENSI,  
AD DIEM XIII. OCTOBRIS.



ROSTOCHI  
Typis Johannis Richelii, Senatûs Typographi,  
ANNO M. DC. LII.

Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock



ΣΥΝ ΘΕΩ.

## DIATRIBE PRIMA.

I.

**Q**uid ista verba significant, quæ Lev. XVIII. 18. legimus, **לֹא תִקַּח אִשְׁתּוֹתַי אֲנִי וְאַתָּה**, nostrâ ac patrum memoriâ disquisitum fuit. Neq; enim vel Latina vulgata, vel alia vetus versio placuit quibusdam : sed aliquid amplius, quàm veteres Interpretes viderint, istis verbis creditum est significari. Quâ de re quid sentiendum sit, dispicere nunc libet. Latinus Interpres ita vertit : *Sororem uxoris tuae in pellicatum illius non accipies.* Non libuit isti Interpreti verbum verbo reddere : sed modo cognatum sensum exprimere ipsi visum fuit. Si a. verbum verbo reddere voluisset, vertisset sic : *Mulierem ad sororem ejus non accipies.* Græci Interpretes verbum verbo reddiderunt : *γυναῖκα ἐπὶ ἀδελφῆς αὐτῆς οὐ λαμβύσῃ.* Itemq; Chaldæus, quippe qui sic vertit : **לֹא תִקַּח אִשְׁתּוֹתַי אֲנִי וְאַתָּה** : *Mulierem cum sorore ejus non assumes.* Noster Germanicus Interpres sic, ut Latinus, fecit, & geminum modo sensum expressit : non verbum verbo reddidit. Omnes autem isti Interpretes optimè inter se congruunt, quòd non alium intellectum quàm hunc, ex prædictis Hebræis verbis capere potuerunt, *non licere duas sorores in matrimonio habere.*

II. Alii quidam existimant, genium Hebrææ Lingvæ id non ferre, ut talis intellectus ex istis verbis capiatur, qualem omnes prædicti Interpretes ex illis ceperunt : esse vero hujusmodi capiendum, *non licere quascunq; duas feminas simul in matrimonio habere.* Et Fr. Junius quidem sic igitur vertendum putavit : *Mulierem unam ad alteram ne assumito.* Atq; hunc securi postea sunt non pauci clarissimi Viri. Nos quid genium Lingvæ hic ferat, aut non ferat, breviter dispiciemus. Contendunt Franc. Junius & alii quidam, verba ista,

A 2

אִתְּךָ אִשָּׁה אַחֶרָה sic vertenda esse, *unam ad alteram*. Quod si ita se haberet, planissimè hic idiotismus linguæ esset, qualem nec in Latinâ, nec in Græcâ, imò nec in nostrâ Linguâ animadvertimus. Vox אִשָּׁה *feminam* significat: אַחֶרָה verò *sororem*. Nunc verò duæ istæ voculæ, quæ sanè categoremata sunt, fierent syncategoremata, si *unam & alteram* significarent.

III. Sed allegant illi perpetuum harum, itemq; cognatarum vocum usum, sic quidem conjunctarum. Atq; illud sanè certum est, si Latinum *unus & alter*, aut *una & altera*, aut *unum & alterum* exprimendum sit, Hebræos uti his verbis, אִשָּׁה וְאִשָּׁה אַחֶרָה / אִשָּׁה וְאִשָּׁה אַחֶרָה. Id ipsum vel sexcentis exemplis demonstrare licet. Atq; ut nonnulla & ipsi afferamus, in cap. XXVI. Gen. 31. hæc legimus: *Juraverunt* (Isaac & Abimelech) אִשׁ לְאָחִיו *alter alteri*. Aliud exemplum est Lev. XXVI. 37. כְּשֵׁלּוֹ אִשׁ בְּאָחִיו *impingent alter in alterum, corruent alter super alterum*. Aliud item est Joël. II. 8. אִשׁ אַחֶרָה לֹא יִרְחֶקֶן *Alter alterum non impellet, coarbitabit*. De rebus quoq; inanimis non minùs usurpatur illud אִשׁ אַחֶרָה, eodem planè significatu. Ejus exemplum est Exod. XXV. 20, ubi de Cherubim agitur. Leguntur ibi hæc: פְּנֵיהֶם אִשׁ אֶל אַחֶרָה *facies illorum (Cherubim) unius ad alterum*. Alibi ubi de inanimis agitur, usurpata reperias voces foem. generis אִשָּׁה וְאִשָּׁה. Exemplum est Exod. XXVI. 3: *Quinq; cortina erunt conjunctæ* אִשָּׁה אַחֶרָה *una ad alteram, una cum alterâ*. Vide & Ezech. I. 9. 23. cap. III. 13. Apparet, credo, satis superq; cum Latinorum *unus & alter*, *alter & alter* exprimendum est, Hebræos uti vocabulis אִשָּׁה וְאִשָּׁה אַחֶרָה / אִשָּׁה וְאִשָּׁה אַחֶרָה. Apparet item, ista vocabula, quæ aliàs categoremata sunt, nunc esse syncategoremata.

IV. Consideremus nunc, an illud quod Lev. XVIII. 18. dicitur, proximis illis sit geminum. Vidimus Cl. Hackspanium in Dissert. primâ de locutionibus sacris regeffisse nonnulla, quibus locum Lev. XVIII. à superioribus illis discrepare ostenderet. Videtur autem Vir Cl. dubio adhuc fuisse animo, cum jam alterâ vice dissertationes istas divulgaret. Scribit enim, se illud tantùm exponere, quid ex aliorum mente Junio obftet, atq; robur argumentorum in ipso

pfo conflictu prius experturum, quàm, utram in re subobscurâ sententiam amplecti velit, secum decernat. Sed expertus jam fuerat argumentorum robur, cum jam alterâ vice ederet: & potuisset igitur ex suâ mente, quæ vellet scribere. Quæ verò ex aliorum mente se afferre scribit, ea omnia considerare nunc non liber. Tantùm de primo nunc videamus: quod nimirum ad genium linguæ spectat. Habet autem sic primum illud, nullo dum exemplo evictum esse, formulam **אִישׁ וְאִשָּׁה** de quibusvis dici, quæ conjuncta sunt, hoc est, de feminis quoq; quibus nulla intercedit consanguinitas: quin ubi ubi occurrat, sensu maximè improprio nil nisi inanimata, certè ratione destituta, denotare. Nimirum Vir Cl. existimat, propterea non necesse esse concedi, verba ista Lev. XVIII. **אִישׁ וְאִשָּׁה** sic ut aliàs, usurpari, quòd nullum aliud exemplum produci possit, ubi de foeminis usurpetur: ubicunq; **אִישׁ וְאִשָּׁה** reperitur, referendum illud esse vel ad inanima, vel certè ad talia, quæ ratione careant.

V. Nobis nihil dubium est, quin non tantùm, ubi de rebus inanimis, aut rationis expertibus agitur, illud **אִישׁ וְאִשָּׁה** usurpari possit, sed vel præcipuè de hominibus, & foeminis quidem. Quemadmodum supra de duob; viris, Isaaco & Abnelecho, ex cap. XXVI. Gen. relatum est, ipsos junxisse sive juramento se obstrinxisse, **אִישׁ לְאִשָּׁה** alterum alteri: sic si de duabus foeminis dicendum sit, alteram alteri jurejurando se obstrinxisse, an dubitare licet, id pari ratione posse sic exprimi, junxisse **אִשָּׁה לְאִשָּׁה** alteram alteri? Non poterat hoc de inanimis, aut rationis expertibus usurpari, nisi antè de hominibus foeminis usurpatum fuisset: quemadmodum nec alterum illud **אִישׁ וְאִשָּׁה**, quod nominibus constat masculini generis, de rebus inanimis aut ratione carentibus dici potuisset, nisi antè de hominibus Viris fuisset dictum. In hominibus sunt **אִישׁ** & **אִשָּׁה**: itemq; **אָב** & **אִמָּה**. Et significant virum, foeminam, fratrem, sororem. Cum ex illis syncategoremata jam facta essent, & sic bina quædam eorum conjuncta unum & alterum, unam & alteram significarent: potuerunt eadem illa de rebus inanimis quoq; aut rationis expertibus atq; commodè dici; non aliter quàm in Latinâ Linguâ de hujusmo-



di rebus dici possunt *unus & alter, alter & alter*. Nec dici debuit, quod Vir Cl. fecit, **אִשָּׁה וְאֶחָתָה** sensu maximè improprio dici, cum de inanimis aut rationis expertibus usurpatur. Improprius vocum sensus est, si tropus quidam ostendi possit. Sed cum de inanimis dicitur, **אִשָּׁה וְאֶחָתָה / אִישׁ וְאֶחָיו**, tropus nullus est. Factæ sunt istæ voces syncategoremata, ut dixi, & significant, *unum & alterum*. Cum verò hanc vim jam haberent, æquè de inanimis, aut rationis expertibus, quàm de illis quæ rationem habent, dici poterunt.

*VI.* Illud quod Vir Cl. ex aliorum mente scripsit, nihili est, ut apparet. Nos igitur Junio & aliis quibusdam opponemus quiddam aliud: quod, credo, paulò validius est. Dicimus igitur, voces **אִשָּׁה וְאֶחָתָה** non posse syncategoremata esse, hoc est, non posse significare *unam & alteram*, nisi quippiam antecesserit, ad quod referri possint, ipsam *categorema* puta. Cumq; Lev. XVIII. 18. *categorema* non antecedit, istas quoque voces **אִשָּׁה וְאֶחָתָה** non posse ibi pro syncategorematis haberi. Quòd a. *categorema* præcedere debeat, id ex aliis quoq; linguis satis intelligi potest. In ipsâ Latinâ Linguâ non usurpantur syncategoremata *unus & alter*, nisi quippiam antecesserit, ad quod referri possint. Ne Latinè quidem dicere licet, *unam cum alterâ in matrimonio habere non potes*; sic quidem ut nihil antecedit. Licet verò sic loqui, *Duas istas fœminas, unam cum alterâ, in matrimonio habere non licet*. Sic nec Hebraicè id ita exprimere possis **אִשָּׁה אַחַת לְאִשָּׁה אַחַת תִּקַּח**. Dicere verò sic licet, **שְׁתֵּי נָשִׁים הָאֵלֶּה, אִשָּׁה אַחַת לְאִשָּׁה אַחַת תִּקַּח**.

*VII.* Præterquam autem quòd ipsa ratio satis ostendit, si syncategoremata *unus & alter* poni debeant, oportere *categoremata* antecedere, licet quoq; idem illud inductione variorum exemplorum demonstrare. Recolamus ea, quæ jam supra sunt posita. Ex Gen. XXVI. produximus illud; *Juraverunt* (Isaacus & Abimelechus) **אִישׁ לְאֶחָיו** *alter alteri*. Vides hic præcedere, quoniam illi fuerint, quorum alter alteri juraverit. Sic nec Latinè dicere possis, *alterum alteri jurasse*, nisi locutus jam fueris de quibusdam hominibus, qui juraverint. Aliud exemplum produximus ex Exod. XXV. 20: *Facies eorum*

eorum (Cherubim) **איש איש** unius ad alterum. Non potuisset illud **איש אל אחיו** poni, nisi jam præmissum fuisset, quænam illa fuerint, quorum unius facies conversa fuerit ad alterum. Non aliter res se habet de illo quod ex Exod. XXVI. 3. produximus: *Quing. cortina conjuncta fuerunt* **איש אל אחותה** una cum altera. Vides & hic præmitti, quænam illa fuerint, quorum alterum conjunctum fuerit cum altero. Aliud exemplum produximus ex Lev. XXVI. 37: **איש באישו** *corruent alter super alterum.* Non potuisset illud *alter super alterum* sequi, nisi de illis jam dictum fuisset, quibus nam id eventurum erat, ut alter super alterum corrueret.

VIII. Sed dicat Junius, sufficere, si ad voces **איש ואישה** *alteram non assumes.* Et sanè, quod ita subaudiendum dixerit, id disertè addidit in versione suâ, cum ita vertit: *Mulierem unam ad alteram ne assumito.* Nos igitur contendimus, non posse ad syncategoremata illa quippiam subaudiri: sed oportere aliquid esse præmissum, ad quod ipsa referantur. Quemadmodum ne Latinè quidem dicere potuit ipse Junius, *unam ad alteram ne assumito*, sed necesse habuit, ut sciretur, ad quid illud *una ad alteram* pertineret, ipsum categorema *mulierem* ponere: sic nec in Hebræa Linguâ **איש ואחותה** possunt *unam & alteram* significare, nisi adsit, aut præcesserit quiddam, ad quod istæ voculæ referantur. Si in Lev. XVIII. 18. scriptum esset, **אחותה לא תקח** *duas mulieres, unam ad alteram ne assumas*: utiq; voces **איש ואחותה** *unam & alteram* significarent, & pro *syncategorematis* haberi possent. Præcederet n. ita ipsum categorema *mulieres*. Nunc v. quoniam dictum est, **איש אל אחותה לא תקח**, nec præmissum quicquam, ad quod voces **איש ואחותה** referantur, non possunt eadem pro *syncategorematis* haberi, sed sunt genuina categoremata. Et prius quidem sic ut vulgò, *mulierem* significat: posterius autem sic itidem, ut vulgò, *sororem*. Tota verò propositio sic est vertenda: *Mulierem ad sororem ejus ne assumito.* Atq; ita, credò, prædicta lis sopita tandem esse poterit. Sunt quidem & alia nonnulla, quæ Junio opponi possunt. Sed illis nihil nunc opus est: siquidem unum illud quod attulimus, satis est validum.

DIA-

# DIATRIBE ALTERA.

## IX.

**Q**uod in Psalmo prædictum est de Christo in caelum ascen-  
dente, his verbis, לקחת מתורת בארם, ex eo sanctus  
Paulus Ephes. IV. 8. expressit hanc Græcam orationem, ἡμεῖς  
ἔδωκε δόματα τοῖς ἁγίοις, dedit dona hominibus. Quod quomo-  
do fieri potuerit, considerare libet. לקח accipere, & δίδωαι in-  
tantum discrepant significationibus, ut de quo unum istorum dici-  
tur, de eo respectu ejusdem, & eodem tempore, non possit dici alte-  
rum. Qui accipit, inquam, ab altero, is, dum accipit, non potest  
dici idem illud, quod accipit, alteri dare. Veruntamen potest ali-  
quis accipere ab altero, & huic eidem postea vicissim dare. Itemque  
potest quis accipere ab altero sive aliunde; & postea dare, non illi à  
quo accepit, sed alii cuidam. Quod igitur ad hoc posterius attinet,  
observare licet, Hebræos usurpare vocabulum quod accipere, sumere  
significat, ad exprimendum dare, hoc est, vocabulum quod antecede-  
dens significat, pro vocabulo significante consequens. Exemplum  
est I. Reg. XVII. 10. קחו נא לי מעט מים accipe queso mihi pau-  
lum aque, hoc est, da. Aliud Exod. XXV. 2. Loquere ad filios Israel,  
ויקחו לי תרומה & accipiant mihi primitias, hoc est, dent. Sic etiam  
ubi de matrimonio agitur. Ut Jud. XIV. 2. קחו אותה לי לאישה  
accipite mihi illā in uxorē. Cæterum quòd isto vocabulo significetur  
dare, id nimirum quod sumptionem sive acceptionem sequi solet, id  
ostendunt Hebræi præfixo ה quod Dativi nota est, & nominibus aut  
suffixis præfigitur. Quemadmodum igitur in illis quæ recensuimus:  
לקח dare significat, ita etiam in verbis Psalmi significare dicimus;  
atque igitur sic esse vertendum, (si quidem non Hebrææ L. genium re-  
ferre cupias, sed vel Græcæ vel Latine L. genium observare velis,)  
ἡ δὲ δῶκε δόματα τοῖς ἁγίοις, dedisti dona hominibus.

X. Sed dubium hic movere, quòd in Psalmo dicitur לקחת  
בארם: quòd, inquam, לקח construitur cum nomine, inter-  
veniente præfixo ה; non interveniente ה, hoc modo, לקחת לארם.  
Sane

sanè cætera sic habent, קחו לי / קחי לי; non כחי. Non tamen  
 nos movebimur, ut aliter sentiamus, quàm diximus. Primò sola S.  
 Pauli interpretatio sufficere posset ad demonstrandum, nostrum il-  
 lud cæteris esse geminum. Vertit quippe sic, ἔδωκεν ἀνθρώποις. De-  
 inde scire licet, קח & לי in constructionibus verborum cum nomi-  
 nibus sæpe solere permutari, & eandem vim obtinere. Exempli  
 gratià: מִן־נֶחֱמֵהוּ construitur cum nominibus interveniente quasi glu-  
 tine, נחמתי. Apparet ex Deut. IX. 23. Et non credidistis לִי ei sc. Deo.  
 Et ex Es. XLIII. 10: לִי חֲסִינִי, credetis mihi. Idem tamen verbum  
 sæpissime etiam cum nomine construitur, interveniente præfixo כ.  
 Exemplum Exod. XIV. 31: Crediderunt בִּיהוָה וּבְמֹשֶׁה Jehova &  
 Moysi. In quodam Psalmo utraq; constructio visitur. Nimirum  
 Psalms CVI. versiculus XII hæc habet: Crediderunt בְּיְהוָה verbis e-  
 jus. Eiusdem verò Psalms versiculus XXV habet ista: Non credi-  
 derunt בְּיְהוָה verbo ejus. Non aliter quoq; in aliorum quorundam Ver-  
 borum cum Nominibus constructione כ & ל sæpe permutari solent.  
 Numerorum XXVII. 21. dicitur לוּ כַמְשַׁפֵּט שֹׁנֵי לוּ consulat eum  
 de iudicio. Alibi v. idem verbum שֹׁנֵי construitur interveniente כ.  
 Ut Jud. XVIII. 5: שֹׁנֵי נָתַן בְּאֵלֵיהֶם consule quæso, Deum.  
 Radix לעג irridere, subsannare, construitur itidem interveniente vel  
 כ vel ל. Prioris exemplum est Prov. XXX. 17: posterioris II. Par.  
 XXX. 10. Sic & בעל dominari. I. Par. IV. 22. dicitur, בעלו למואב  
 dominati sunt Moabo. Gen. I. 28. autem sic, רבו כדגת הים domina-  
 mini piscibus maris. Licere: pluraisiusmodi congerere, si quidem  
 opus esset. Apparet autem, vocem כְּאֶרֶם non alium sensum pare-  
 re in Psalms LXVIII. quàm si dictum esset לְאֶרֶם. Quod igitur Dru-  
 sius scribit in Præteritis, כְּאֶרֶם hic significare inter homines, seq; id  
 malle, quàm propter homines, id nobis non placet. Neutrum istorum  
 commodum est. Nostrum autem S. Paulus confirmat.

XI. Cæterum Τὸ accipere dona hominibus, Hebrææ L. genium  
 redolet. Quem Hebraismum Paulus in Eph. IV. non sic, ut sæpè aliàs  
 facit, exprimere voluit: sed Græcæ L. genio convenienter scripsit,  
 ἔδωκε δόματα τοῖς ἀνθρώποις. Sic & Syrus Interpres Hebraismum

non expressit, cū pro Hebræis hæc posuit, מוֹחֵב לְכֹנִינִים  
 & dedisti dona hominibus. Quod v. Gab. Sionita in præf. Psalt. Syriacè  
 colligit ex eo quod Paulus, Syriacæ versioni convenienter, Hebrai-  
 smum non expressit, eundem versione Syriacâ fuisse usum, hancq̃  
 ipsi Apostolis antiquiorem esse, id nobis non liquet. Magis placet,  
 Apostolum ad aliam versionem non respexisse: sed intellectum ver-  
 borum in Græcâ L. simpliciter sit expressisse, ut Hebraismum non  
 simul exprimeret. Græci interpretes V. Test. expresserunt Hebrai-  
 smum. Similiter Latinus vertit: *Accepisti dona in hominibus.*

XII. Quod ad illud attrinet, quod diximus, verbum significans  
*antecedens* poni pro tali quod significat *consequens*, חָקַלּ putat pro חָקַל,  
 ei similia quoq; alia allegare licet. תּוֹ עָרַר scire sæpe reperitur pro  
*expendere* positum. Ut Jer. VIII. 7. *Populus meus עָרַר לֹא יָדַע* non novit  
 (non expendit & curat) *judicium Domini.* Esa. I. 3. *Israel non cognoscit.*  
 Græcum γινώσκων, Joh. VIII. 43. significat *approbare*, quod *cognitio-*  
*nem* consequitur: διὰ τί τὴν λαλίαν τὴν ἐμὴν οὐ γινώσκετε. Cau-  
 sam item Christus exponit talibus verbis, quæ & ipsa superioribus il-  
 lis geminum quid habent: ὅτι οὐ δυνάσθε ἀκῆσαι τὸ λόγον τὸ ἐμόν.  
 In his ἀκῆσαι positum videtur pro eo quod consequens est,  
*Curiè ay intelligere.* Cæterum idem verbum עָרַר ponitur etiam pro  
 eo, quod in voluntate consequi solet; pro *amare*, inquam, & *curare.*  
 Exemplum Exod. I. 8. *Et surrexit Rex novus, qui עָרַר לֹא יָדַע non novit*  
*Josephum.* Aliud Jud. II. 10. *Surrexit alia generatio, que non עָרַר no-*  
*vit Jehovam, & opera que fecerunt Israel.* Sed istas significaciones me-  
 talepticas non in Hebraicâ modò dialecto, verùm etiam in aliis lin-  
 gvis obtinere animadvertimus: uti & illud quod verba *recordandi*  
 significant quandoq; eas actiones, quæ recordationem consequi so-  
 lent. Exemplum hujus est Hebr. XI. 15. εἰ μὲν ἐπέμνησεν ἡμῶν, *si illius meminissent*  
*(patriæ) unde exierant, habuissent tempus reverten-*  
*di, hoc est, si illam patriam desiderassent.* Mox deinde sequitur:  
 νῦν δὲ κρείττον ἐστὶν ἡμῶν, *nunc autem meliorem desiderant.*

XIII. Afferam quoque exemplum totius phræseos, quæ  
 consequens quiddam significat, nec in aliis linguis sibi simile habet. תּוֹ  
 חָקַלּ נִשְׂאֵהוּ *accipere, attollere faciem, quod antecedens quiddam est,*  
 signifi-

significat id quod proximum consequens est, *contemplari & cognoscere faciem*: & porro aliud consequens, nimirum *facere aliquid eam ob causam, quod faciem levaveris ac contemplatus sis, utrum ex divitibus ac potentibus aliquis sit, an verò ex pauperculis*. Ipsum quoque פנים *cognoscere faciem*, quod נשא פנים *attollere faciem proximum consequens est, significat suum ipsius proximum, דם פנים verò remotum consequens: nimirum facere aliquid eà de causâ, quod cognoveris, utrum dives quis sit, an pauper*. Utriusque exemplum est Job. XXXIV. 19. אֲשֶׁר לֹא נָשָׂא פְּנֵי שָׂרִים וְלֹא נָכַר שׁוֹעֵ לְפָנָי דָּר *qui non accipit sive attollit faciem principum, & non cognoscit nobilitatem præ tenui, hoc est, qui non judicat vel aliud quid facit, propterea quod aliquis ex primoribus sive nobilibus est. Prioris aliud exemplum est Lev. XIX. 15. לֹא תִשָּׂא פְּנֵי דָר non attolles faciem tenuis. Posterioris aliud exemplum, & quidem paulò convenientius est Deut. I. 17. לֹא תִכְרַר פְּנִים בְּמִשְׁפָּט non cognoscetis faciem in iudicio.*

XIV. Diximus antè, istis verbis Psalmi, quæ consideranda sumus, *antecedens esse positum pro consequenti*. Pro eo aliis liber sic loqui, *in uno verbo duas significationes concurrere, vel brevitatis causâ à unum verbum quædam, pro duobus poni*. Et hoc quidem in aliis satis rectè se habet. De nostro autem convenientius videtur sic loqui, ut nos fecimus. Rectè habet in his, *Accepit fercula de eo quod erat in conspectu suo, ad eos*, Gen. XLIII. 34. Satis manifestum est, *omissum hic esse verbum misit*. Aliud II. Paralip. XXXII. v. 1: *Cogitavit discindere ad se* (urbes munitas) hoc est, divellendo à regno Juda sibi adjungere. Aliud Psal. CIV. 22. *Ad habitacula sua recubant*, hoc est, se recipiunt & recubant. Vide plurima istiusmodi collecta à Cl. Glassio Gr. S. Can. II. de Verbo. In talibus unum verbum omissum est, & ad sensum supplendum idem illud manifestè est subaudiendum. In nostro autem, & in aliis quibusdam aliter res se habet. Quod Hebræi dicunt, קח לי מים, id vulgò conferunt cum superioribus; quasi sensus sit, *Sume aquam & da mihi*: atq; ita brevitatis causâ unum verbum positum sit pro duobus. Nobis convenientius videtur sic loqui, *verbum quod antecedens significat, poni*

pro eo quod significat consequens. Illud sume aquam, quamvis anteceditur *dare*, tamen non requiritur ad supplendum sensum horum verborum, *Da aquam*: neq; qui hoc dicit, alterum subaudit. Sic etiam in Psalmo כָּאֵרָם לִקְחֵם non ita vertendum est, *accepta dedisti hominibus*, ut Drusius in Præteritis ad Eph. IV. & alii volunt: sed simpliciter, *dedisti hominibus*. Sic Chaldæus & Syrus solū כָּאֵרָם, posuerūt. Et S. Paulus εἶδονα τῆς ἁθρόμης: non, εἶλαβε καὶ εἶδονα. Pertinet huc Prov. XXV. 22. Prunas tu *כָּאֵרָם* capiens sive sumens, (ponens) super caput ejus. Quod itidem non sic explicandum, ut Drusius & alii volunt, *Capiens sive sumes & pones*, ut unum subaudiatur: sed simpliciter, *pones super capite ejus*; ut, inquam, unum, quod antecedens significat, positū sit pro altero, quod significat consequens. S. Paulus Rom. XII. 20. id ita expressit: ἄσβεστον πυρὸς ἑσθῆσιν σου καὶ κεφαλῇ σου, *Prunas ignis cumulabis super caput ejus*. Qui prunas cumulat super caput, is cumulatur eas in caput ponit, atq; ita sane quoq; ponit easdem.

## DIATRIBE TERTIA.

XV.

**O**bservamus, unam eandemq; ῥῆσιν modò ad genium Linguae peculiari ratione pertinere, sive linguae alicui propriam esse: aliàs verò rem aliter se habere. Hebraeae Linguae idiotismus est, quòd *בְּתוֹךְ* sæpe non significat *in medio*: sed idem modò, quod vocula *In*. Exemplum est Gen. cap. XVIII. v. 24: *Fortasse sunt quinquaginta justi בְּתוֹךְ הָעִיר*. Non vertendum est *in medio urbis*: sed modò, *in urbe*. Latini cum dicunt, *in medio urbis*, sive *in mediâ urbe*, tum aliquid ampliùs volunt, quàm cum dicunt, *in urbe*. Non aliter eadem vocula *בְּתוֹךְ* in eodem cap. usurpatur sæpius. Aliud item exemplum est Zach. II. 8: *Absq; muro habitatur Jerusalem, pro multitudine hominum & jumentorum* (quæ sunt) *בְּתוֹךְ*. Non vertendum est, *quæ sunt in medio ejus*: sed modò, *quæ sunt in eâ*.

XVI. Est & alia quædam ῥῆσις, cujus eadem conditio est, quæ superioris, nimirum *בְּתוֹךְ*. Sæpenumero id verti non potest per *in medio*: sed vertendum modò est per *In*. Exemplum est Psalm. XLVIII.

XLVIII. 10: Cogitamus, o Deus, *benignitatem tuam* בְּקֶרֶב *in medio*  
*templi tui.* Aliud Esa. VII. 20: *Butyrum & mel comedet omnis qui re-*  
*manserit* בְּקֶרֶב הָאָרֶץ. Vertendum est, non *in medio terre*: sed  
*modò, in terrâ.* Aliud Esa. X. 23: *consummationem, & quidem præci-*  
*sam, facturus est Dominus* בְּקֶרֶב כָּל הָאָרֶץ, hoc est, *in omni terrâ.*  
 Sic & Rom. IX. 28. vertitur, non ἐν μέσῳ τῆ γῆς, sed modò ἐν τῆ γῆς.  
 In omnibus istis, si in Latinam L. ea vertantur, omitti potest, ut appa-  
 ret, vox *medio*, & ponere licet solam voculam *In*. Ex quo intelli-  
 gitur, id ad Hebrææ L. genium peculiari ratione pertinere.

XVII. In aliis autem eadem ῥήσις בְּתוֹךְ omninò significat  
*in medio*, nec verti potest in alias linguas, nisi sic exprimatur, ἐν μέσῳ,  
*in medio.* Exemplum est Gen. III. v. 3. מִפְּרִי הָעֵץ אֲשֶׁר בְּתוֹךְ הַגָּן. *de fructu arboris,*  
*qua est in medio horti, dixit Deus, ne comedatis in eo.* Quid vocula תוֹךְ  
 hic Latinâ voce *medium* fit exprimenda, intelligi  
 satis licet ex his quæ præcedunt: *De fructu arborum horti utiq; come-*  
*dimus: de fructu autem arboris, qua in medio horti &c.* Hic quoniam  
 vertendum est *in medio*, τῆ בְּתוֹךְ idiotismus Linguæ non est. Græci  
 vertunt: ἀπὸ τῆ καρπῶν τῆ ξύλων, ὁ ἐν μέσῳ τῆ περιδείσας. Sic  
 & S. Johan. Apoc. II, 7. quamvis alio intellectu: φαγεῖν ἐκ τῆ  
 ξύλων τῆ ζωῆς, ὁ ἐστὶν ἐν μέσῳ τῆ περιδείσας τῆ θείας.

XVIII. Cæterum istis ῥήσις בְּתוֹךְ & בְּקֶרֶב cognata est & alia  
 quædã, quæ & metaphoram includit, nimirum בְּלֵב *in corde.* Significat  
 hoc quoque non *medium quoddam*, ne quidam παχυλῶς considera-  
 rum: sed vertendum est per voculam *In*. Exemplum Prov. XXX.  
 v. 19. *Via navis* בְּלֵב *in corde maris, hoc est, in mari.* Sic & Christus  
 locutus est, cum dixit se futurum בְּלֵב הָאָרֶץ *in corde terræ tribus die-*  
*bus & tribus noctibus.* In Evangelio Matthæi Hebraismus expressus  
 est Græcis verbis, ἐν τῇ καρδίᾳ τῆ γῆς. Istis locutionibus non signi-  
 ficatur *medium maris sive terræ, nec intima eorum partes*: sed modò  
 talis pars, quæ ad superficiem pertinet, ubi puta superficies est paulò  
 depressior, cum aliæ ejusdem partes sint altiores. Navis utiq; ambi-  
 tur superficie aquæ: sed tali ejus parte, quæ aliâ parte paulò depressi-  
 or est. Sic & Christus, cum in sepulchro fuit, fuit in superficie pe-  
 træ, sed quæ depressior erat superficie cæterâ.

B 3

XIX. Sed



XIX. Sed Bellarminus non concedet id quod nos diximus de verbis Christi, hæc ad genium L. Heb. pertinere. Credit n. omnino *medium* significari verbis Christi, & quidem intimum & exactum: idq; eò, ut ex istis verbis descensum Christi ad infernum, quem & ipsum in subterraneis locis esse statuit, probet. Verba ejus in lib. IV de Christo c. XII visere licet. Habent quidem sic: *Alii dicunt, sepulcrum appellari cor terra; sed repugnat similitudo. Nam cor est in profundissimo loco animalis: sepulcrum autem est prope superficiem terræ. Et Christi sepulcrum videtur fuisse supra terram. Erat enim monumentum excisum in lapide supra terram existens.* Sed & ante Bellarminum S. Hieronymus sic intellexerat: & in eam sententiam in Commentario in Jonam scripsit. Nos contra scimus, non omnia in sacris literis  $\chi\tau\lambda\epsilon\pi\tau\acute{\iota}\delta\omicron\nu$  esse intelligenda. Cujus rei manifestum exemp. Bellarmino suppeditare possumus ex hoc ipso loco Matthæi. Dicit Christus, *se tres dies & tres noctes futurum in corde terræ.* An ergo credit Bellarminus, tres exacte dies & tres noctes Christum in sepulcro fuisse? Non faciet scio. Certum sanè est, Christum unum modo integrum diem, & duorum dierum brevem partem, deinde duas integras noctes in sepulcro fuisse. Deinde ingerere possumus Bellarmino illud de *corde maris*, quod paulò antè ex Prov. XXX produximus. Sed non tantùm posse ita intelligi verba Christi apud Matth. ut nos intelligimus, sed omnino etiam sic intelligenda esse, satis demonstrare licet. Quid enim? si *infernum* intelligamus in verbis Christi, statuumendum erit, Christum per tres dies, ac tres noctes in inferno fuisse. Quodnam igitur tempus dicemus fuisse, quo Christus in sepulcro fuerit? Ex tribus diebus & tribus noctibus sanè nihil est relictum, quod in sepulcro ipsum exegisse dicere possimus. Sed excurrimus paulò longius: revertamur ad illud unde digressi sunt.

XX. Diximus id Hebrææ L. peculiare esse, quòd  $\text{לב ים}$  significat simpliciter *in mari*. Alibi verò ubi similis  $\eta\sigma\iota\varsigma$  est, non tamen eadem vis est, sed major quædam; ut nim.  $\text{לב ים}$  significet *intimum*. Exemplum Exod. XV. 8:  $\text{קפאו תהומות לב ים}$  *congregata sunt abyssi in medio maris.* Sic Jonas c. II. 4. dicit se fuisse  $\text{לב ים}$  *in corde maris.* In his *cor maris* non id significat, quod in Prov. XXX: sed *intimas partes*, nec tamen exacte *medias*. Atq; hoc quidem

dem & ipsum Hebrææ L. peculiare est, quòd vox quæ *cor* significat, metaphoricè *intimas partes* significat. Estq; sanè illud quoq; idiotismus Linguæ. Discrepat tamen hic idiotismus à superiori; quippe in quo non *intimas partes* significabat, sed modò Latinè per *In* vertendum erat. Sed hic postero vocis usus prior fuit superiore. Cum vox ista jam *intimas partes* significaret, atq; ita vocibus קרב & קרב ferme æquipolleret: usurpata deinde ampliùs est, ut ipsum קרב & קרב, hoc est, eodem modo ut illa, *πλεονάζει*, nec, si in Latinam Linguam versio facienda sit, exprimi ea debet.

X XI. Quòd dixi, quasdam ῥήσεις quandoq; alicujus Linguæ idiotismos esse, aliàs esse non item, ejus aliud quoq; exemplum apparuit in superioribus, ubi de vocibus משה ויהוה agebamus. Sanè cum ea voces significant *unam & alteram*, sunt eadem idiotismus Linguæ. Quòd, inquam, voces quæ vulgò *fæminam & sororem ejus* significant, syncategoremata fiunt, & usurpantur ad significandam *unam & alteram*, id in Latinâ, Græcâ, aliâve Linguâ non observamus. Apud Græcos vox γυνή, quæ *mulierem* significat, nunq. fit syncategorema, quemadmodum Hebræa vox אישה. Sic & vox ἀδελφή, quæ *sororem* significat, non sic ut Hebræum אחות, syncategorema fieri potest. Eadem autem Hebrææ voces, quæ sic conjunctæ idiotismum Linguæ constituunt, in verbis Lev. XVIII. 18. quæ suprâ consideravimus, non sunt idiotismus: sed ita ut aliàs, significant *mulierem & sororem ejus*.

X XII. Ostendemus adhuc aliam ῥήσιν, quæ itidem ad Hebrææ L. idiotismos modò pertinet, modò non pertinet. Nota res est, Hebræos cum *iterationem* actionis cujusdam significare volunt, id ita facere, ut verbum שוב *reverti* præmittant alteri verbo, quòd ipsam actionem significat. Exemplum est Genes. XXVI. 18. וישב ויחפר & *reversus est Isaac*, & *fodit puteos quos foderant servi patris ejus Abraham*, & quos illo mortuo obstruxerant *Philistim*, hoc est, rursus fodit. Aliud I. Reg. XIX. 6. וישב וישכב & *reversus est*, & *cubuit*, hoc est, *rursus cubuit*. Aliud II. Reg. I. 11. וישב וישלח & *reversus est* & *misit*, hoc est, *iterum misit*. Ex his res opidò manifesta fit. Apparet autem, & istas locutiones Latinas, in quibus *rursus* est,

est, & has in quibus est  $\text{שׁוּב}$  iterum, eodem modo ab Hebræis exprimi. Apud Latinos autem discrepant plerumq; *rursus* & *iterum*. Pertinet huc quoq; II. Reg. XIX. 9.  $\text{וַיָּשׁוּב וַיִּשְׁלַח}$  & *reversus est* & *misit legatos ad Hiskiam*, hoc est, iterum misit, nim. Sennacheribus. Nam bis legatos ad Hiskiam misit Rex Assyriorum, & Hiskiam ad ditionem sollicitavit. Pertinet huc item illud ex Dan. cap. IX. *ab exitu verbi להשיב ולבנות*  $\text{לְהָשִׁיב וּלְבַנוֹת}$  *ad revertendum & adificandum Jerusalem*, hoc est, ad reedificandum.  $\text{וַיָּשׁוּב}$  licet sit ex Hiphil, & alias *reducere*, *reverti facere* significet, hic tamen intransitive significat *reverti*: atq; igitur Hebraïsmum facit superioribus prorsus geminum.

XXIII. Nunc exempla ostendemus orationum, in quibus  $\text{שׁוּב}$  eodem pacto positum apparet, qvò in superioribus, nec tamen similem vim habet, atq; igitur nec Hebraïsmum, superioribus similem, constituit. Gen. XXXVII. 30.  $\text{וַיָּשׁוּב אֶל־אָחָיו וַיֹּאמֶר}$  & *conversus* & *ad fratres suos*, & *dixit*. Aliud cap. XLII. 24.  $\text{וַיָּשׁוּב אֶל־הֵימָּוֹתָם וַיְדַבֵּר}$  & *conversus ad ipsos* & *locutus est*. Sed in his non mirū est  $\text{שׁוּב}$  alium parere intellectum, propterea qvòd illi qvippiam additur, qvòd inter ipsum & alterum verbum intercedit. Producam igitur talia qvæ qvòd ad formam superioribus prorsus gemina sunt, nec consimilem tamen vim habent. Exemplum est Jud. VII. 3. *Qui timidus est*  $\text{וַיָּשׁוּב וַיִּצַּפֵּר מֵהַר גִּלְעָד}$  *convertat se* (regrediatur) & *ma- ture discadat de monte Gilead*. Hic  $\text{שׁוּב}$  non significat iterationem discessionis, sed simpliciter regressionem. Aliud I. Sam. XXVII. 9.  $\text{וַיָּשׁוּב וַיָּבֵא אֶל־אֲכִישׁ}$  & *convertit se* & *venit ad Achis*. Hic itidem iterationem actionis non infert. Non enim sic potest verti: *Et iterum venit ad Achis*. Aliud II. Reg. II. 13.  $\text{וַיָּשׁוּב וַיַּעֲמֵר עַל־הַיַּרְדֵּן}$  & *reversus est*, & *stetit in litore Jordanis*. Hic verbo  $\text{שׁוּב}$  seorsim regressio significatur; non iteratio stationis. Aliud II. Reg. XIX. 8:  $\text{וַיָּשׁוּב רַב־שָׂקָה וַיִּמְצָא}$  *regressus est Rabsake*, & *invenit Regem Assyriorum pugnantem* &c. Hic itidem non significatur iterata inventio, sive iteratio inventionis: sed primò regressio seorsim, & deinde inventio. Perpaucis autem interjectis in eodem XIX. cap. reperitur  $\text{שׁוּב}$  sic positum, ut idiotismum Hebræum omni-

omnino constituat. Dicitur quippe וישב וישלח & denuo sive iterum misit legatos.

XXIV. Afferamus adhuc plura exempla vocis, prout Hebraismus non constituit. I. Paral. XXI. 20. וישב ארנן וירא & conversus fuit Arnan & vidit Angelū. Hic וישב ne quidem regressionem significat, sed conversionem modò. Arnan, dum in arcā suā triturrā occupatus fuit, forte convertit se, atq; ira Angelum vidit. Aliud Ps. LX. 2. וישב יואב ויך & regressus est Joab, & fudit Edomiturum duodecim millia in valle salis. Aliud II. Reg. XXIV. 1. Fuit ipse (Nebucadnezari) Jojakim servus tribus annis וישב וימרד & aversus est, & rebellavit contra ipsum. Hic וישב non facit, ut iterata rebellio sive rebellionis iteratio intelligenda sit, utq; sic sit vertendum, & denuo sive iterum rebellavit: sed seorsim id reddendum est tali verbo, quod aversionem, alienationem significet, quemadmodum nos fecimus. Latinus Interpres sic vertit: *Et rursus rebellavit contra eum.* Ubi sanè vox *rursus* iteratam rebellionem infert, & eandem vim habet quam *denuo* sive *iterum*. Verum enim vero interpretatio ista minùs rectè se habet. Jojakimus non bis rebellavit contra Nebucadnezarem: sed cum primò à Nebucadnezare in potestatem esset redactus, post idemq; tempus tribus annis in fide mansisset, tum deinde defecit à Nebucadnezare, neq; Rex fiduciarus esse ac jure precario regnare ampliùs sustinuit. Ante istam autem rebellionem, de quā in prædicto XXIV. capite agitur, non factam fuisse aliam, satis intelligi licet ex ejusdem capitis verbis omnium primis. Adscribemus ea, & quæ jam attulimus, mox subjungemus: *In diebus ejus (Jojakimi) ascendit Nabuchodonosor Rex Babylonis, & factus est ei Jojakim servus tribus annis, & aversus fuit, & rebellavit contra eum.* In proximo superiore capite dictum fuerat, Jojakimum in locum fratris sui Joachasi surrogatum fuisse à Nechone Rege Ægypti, atq; adeò Regem fiduciarium constitutum. Fuisse verò & ipsum impium, quemadmodum fuerant pleriq; ejus majores. Cum igitur ista exposita essent, subdidit sacer Scriptor, ea quæ nos transcripsimus: *In diebus ejus ascendit Nabuchodonosor. Quorum verborum utiq; hic intellectus est: Cum Jojakimus, in locum fratris sui surrogatus, fiduciarium regnum teneret ac*  
Regi

Regi Ægypti subiectus esset, Nebucadnezarus cum exercitu Hierosolyma movit, & Jojakimum in suam redegit potestatem. Obnoxius igitur Jojakimus Nebucadnezari fuit tribus annis. His verò elapsis noluit amplius subiectus esse ac rebellavit contra Nebucadnezarem. Quot verò annis Jojakimus Nechoni, qui in locum fratris ipsum surrogarat, obnoxius fuerit, id non ex hoc loco, sed ex Dan. I. intelligi licet, ubi quippe hæc reperimus: Anno tertio regni Jojakimi (fiduciarium illius atque precarium, à Nechone Rege Ægypti delegati) venit Nabuchodonosor, Rex Babylonis, in Jerusalem, & obsedit eam, & tradidit Dominus in manu ejus Jojakim, Regem Juda &c.

XV. Libet & de loco Dan. XI. 10, in quo itidem est ישוב, superioribus quædam subjungere. Verba ejus loci ita habent: Et filij ejus provocabuntur (irâ exardescunt) & congregabunt multitudinem exercituum plurimorum. Et veniet properans & inundans וישב ויתגרה ער מעור. Agitur istis verbis de duobus filiis Seleuci Callinici, Seleuco Cerauno & Antiocho Magno, bello petituris Regem Ægypti, Ptolemæum Evergetem, & deinde Philopatorem: ut ulciscerentur cladem patris Seleuci Callinici, quâ is à Ptolemæo Evergete affectus fuerat. Scilicet Evergetes, cum bellum gereret adversus Seleucum Callinicum, adegit hunc tandem, ut pacem peteret, ac obsides de obsequio & fide totius Syriæ daret. Totam item Syriam spoliavit opibus, hasque in Ægyptum deportavit. Unde & nomen Evergetæ ipsi inditum fuit. Ut igitur Seleuci Callinici filii, Seleucus Ceraunus & Antiochus Magnus, cladem istam ulciscerentur, nec Regi Ægypti amplius obnoxii essent, bellum illi repararunt. Et Seleucus Ceraunus quidem anno tertio, quàm regnum susceperat, occisus est. Succedens igitur frater Antiochus Magnus bellum continuavit. Isque est de quo seorsim dicitur in prædictis verbis: & veniet veniendo, & inundabit, & transibit. Solet istis verbis expeditio bellica describi in sacris literis. Sic enim & Es. VIII. 9. legimus de Rege Assyriorum: וישב ויתגרה ער מעור. Deinde adduntur ista, וישב ויתגרה ער מעור. Latinus Interpres ita vertit: Et revertetur & concitabitur & congregietur cum robore ejus. Tremellius sic: Et reversus in secebit bellum usque ad munitionem ejus. Idem quoque ad vocem re-  
re-  
re-

reversus subaudit hæc, in possessionem ademptam à Rege Ægypti. Neuter autem istorum duorum Interpretum ex verbo ישוב iterationem intelligit.


XXVI. Vox יתגר rectius videtur versa à Tremellio, quam à Vulgato; ita ut vox מלחמה bellum subaudiatur. Sanè יתגר apud Targumistas significat concitare, immittere aliquem in alterum: respondetq; Hebræis vocibus שלח, כלה, הסית. Exempla congesta vide in Lexico Talmud. Rabb. Buxtorfii. In verbis Danielis autem nescio an יתגר ita verti possit concitabitur (ira exardescet) ut Vulgatus vertit. Primò enim scimus eam vocem alibi significare bellum movere, & quandoq; ipsam etiam nomen, quod alibi subauditur, subjungi. In cap. L. Jerem. v. 24. est בהורו התגרותה contra Jehovam bellum movisti (Babel): ubi vox מלחמה subauditur. In Dent. II. 24. autem hæc sunt והתגר בו מלחמה & move, concita adversus eum bellum. In his, ut vides, מלחמה expressè additur. Sic & verbo in Piel reperimus nomen additum. Exemplum est Prov. XXIX. 22. מרון יגרה concitabit, movebit contentionem. Quemadmodum hic vox quædam ad verbum התגרות modo subauditur, modò disertè additur: ita & in aliis sæpe res se habet. Phrasis כרת ברית כרת significat fœdus percutere. Quandoq; verò solum כרת ponitur, & nomen subaudiendum relinquitur. Phrasis חררה אף exarsit ira alicujus, perfreqvens est. Quandoq; verò nomen אף diserte non additur, sed subaudiendum est. Exemplum Gen. XVIII. 30. אל נא יחר לארתי ne, quæso, exardescat (ira) Domino meo. Sic apud Latinos dicitur obire diem pro mori. Ubi tum subaudienda est vox supremum: quam & diserte quandoq; addunt, dicuntq; obire diem supremam. Vox decedere significat itidem mori. Est verò ad illam quoq; subaudiendum aliquid, nimirum de vitâ: quod & diserte additum reperias. Dicitur vulgò, admittere culpam. Ad id autem subaudiendum est ad se: quod in Aululariâ Plauri & alibi diserte additum reperies. Sic igitur ad vocem יתגר in loco Danielis subaudienda fuerit vox מלחמה bellum.

Ut


Uti ita idem illud dicatur hoc verbo, quod in proximis superioribus  
expressum fuerat vocibus **וַיִּשַׁב וַיִּבְרַח** *inundabit & transibit*.

**XXVII.** Porro adduntur hæc, **וַיִּבְרַח וַיִּשַׁב**. Quæ Tre-  
mellius vertit, *usq; ad munitionem ejus*. Vulgatus, *cum robore ejus*.  
Hic, ut apparet, exercitum regis Ægypti, cum quo congressus fuerit  
Rex Syriæ Antiochus Magnus, intelligit: iste verò *munitionem, mu-  
nimentum, castellum*. Sanè Hebræa vox utrumq; significat. Hic ve-  
rò significare videtur posterius, *munimentum* puta. Præmittitur  
enim vocula **וַיִּבְרַח** quæ *terminum ad certum aliquem locum* significat.  
Intellectus verborum igitur hic fuerit: *bellum movebit* (Rex Syriæ,  
Antiochus Magnus) *usq; ad munimentum ejus* (Regis Ægypti). Con-  
stat autem aliunde, Antiochum Magnum feliciter bellasse, occupaf-  
seq; Syriam & Judæam, Raphiam usq;: quæ urbs in finibus Ægypti  
fuit. Quòd verò **וַיִּבְרַח** præmittitur voci **וַיִּשַׁב**, id hic quoq;  
Hebraïsmum talem non facit, qualem facere solet alibi. Non, in-  
quam, sic vertendum est, *iterum bellum movebit usq; ad munimentum*  
*ejus*: sed ita, *Convertet se, regredietur* (cum antea multis Syriæ  
partibus exclusus esset) *& bellum movebit sive geret*  
*usq; ad munimentum Regis Ægypti*.










reversus subaudit hæc, in possessionem ademptam a  
ter autem istorum duorum Interpretum ex ve  
tionem intelligit.

XXVI. Vox יגרוו rectius videtur  
quam a Vulgato; ita ut vox מלחמה bellum su  
apud Targumistas significat concitare, immia  
rum: responderq; Hebraeis vocibus כלה, הסיה,  
congesta vide in Lexico Talmud. Rabb. Buxtorfi  
lis autem nescio an יגרוו ita verti possit co  
deset) ut Vulgatus vertit. Primò enim scimus  
gnificare bellum movere, & quandoq; ip  
quod alibi subauditur, subiungi. In cap. L. Jerem  
התגרות contra Jehovam bellum movisti (Babel):  
subauditur. In Deut. II. 24. autem hæc sunt  
& move, concita adversus eum bellum. In his, ut  
expressè additur. Sic & verbo in Piel reperimus  
Exemplum est Prov. XXIX. 22. יגרוו מדין co  
rentionem. Quemadmodum hic vox quædam a  
modo subauditur, modo disertè additur: ita &  
bet. Phrasit כרת כרת ברית significat fædus pe  
verò solum כרת ponitur, & nomen subaudit  
Phrasit חררה אף exarsit ira alicujus, perfreqve  
verò nomen אף disertè non additur, sed subaudi  
plum Gen. XVIII. 30. אל נא יחרר לארני: ne, q  
Domino meo. Sic apud Latinos dicitur obire di  
tuan subaudienda est vox supremum: quam & d  
dunt, dicuntq; obire diem supremum. Vox deo  
mori. Est verò ad illam quoq; subaudiendum ali  
tâ: quod & disertè additum reperias. Dic  
tere culpam. Ad id autem subaudiendum est  
lularia Plauri & alibi disertè additum reperies.  
יגרוו in loco Danielis subaudienda fuerit vo



the scale towards document

Neu-  
tam a-  
ellio,  
Sanè  
alte-  
empla  
Danie-  
ex ar-  
ibi si-  
men,  
מהו  
מלח  
והת  
מלה  
um...  
con-  
התג  
de ha-  
odoq;  
tur...  
odoq;  
xem-  
(ira)  
Ubi  
q; ad-  
idem  
de vi-  
admit-  
ii Au-  
ocem  
lum...  
Uk